evacuaciones restitunt , nimias sistunt , laxatas partes firmant , roborantque ; tandem , ubique partium , eorum operâ , restituto humorum circuitu , corpus morbis pertinacibus liberatur , atque sanitate potitur. Unde tot tantæque proprietates ? quo mechanismo effectus æque diversos hæc medicamenta præstant ? an quia partibus astringentibus , ac resolventibus simul componuntur , quibus , prout indicatum fuerit , solida astringuntur , atque humores resolvuntur ? Verùm quo genio ubi humoribus effluxuris vaforum exitus impediendus , aut partes laxatæ firmandæ sunt , partibus resolventibus penitè otiosis , astringentes duntaxat suas vires exerunt : quave ratione resolvendo tantummodo agunt , quoties humores incidendi , aut vasa referanda futura sunt ? num hæc ut pote planè opposita facillè destruerentur ; seu ab incidentibus divisâ , astringentibus plus vel minus concreverent , vel jam concreta ab incidentibus dissolverentur.

I I.

Alii dicent ferrum , atque *martialia* , si pauca excipias , ex naturâ suâ incidentia sunt ; ideo autem astringunt , quia humores , aut salia quibus partium solidarum , aut fluidarum cohæsiō plus vel minus soluta est , suis partibus terreis absorbent ; unde non nisi pro datâ occasione astringentia sunt.

I I I.

Ferrum & ex illo parata medicamenta partes terreas continere , humoribus ferrosioribus , ipsisque salibus acidis absorbendis aptissimas , jam probatum fuit : at illas insufficientes fore , vel leviter attendenti patebit ; ideo humores solvuntur , seu ex quibus componuntur globuli levius inter se cohærent ,

vel quia debilitatâ vaforum vi *systolicâ* minus pre-
muntur, vel quia ab interpositis aliis partibus fluidio-
ribus ab invicem sejunguntur, sejunctique manent :
ergo ut primam consistentiam recuperent ; si à vasis
debilitatis resolutio dependeat ; vasa hæc prius fir-
manda, roborandaque sunt, quod profectò *martia-*
libus absorbendo non obtinebitur. Ita etiam si ab exu-
berantibus partibus ferosioribus humores resoluti
fuerint, non minus imparia erunt : Et quidem quæ-
nam, amabo, ferri, aut medicamentorum martia-
lium dragmas aliquot, uncias si velis, inter & tantam
humorum ferosiorum quantitatem proportio ? parva
certè, ne dicam, ulla est.

I V.

Quo ergò mechanismo ferrum totâ substantiâ ex-
hibitum, aut ex illo varia parata medicamenta in-
teriùs assumpta vasa obstructa aperiunt, aperta clau-
dunt, laxatas partes firmant, aliosque oppositos in-
ter se producent effectus ? varia ex ferro parata me-
dicamenta ferrum non sunt, substantia inflammabi-
lis à terrâ sejuncta aut in auras avolavit, aut adhuc
cum terrâ, prout metallum illud variè tractatum
fuit, majori vel minori quantitate admixta manet,
quin tamen unum idemque corpus efforment, uti
probavimus ff. præcedenti, ferrum quoque ipsum
ubi interiùs assumptum est, totum destruitur, uti
infra dicturi sumus : ergo non ferri partes metallicæ
hos varios effectus præstant, sed quæ ex illo pars
terrea vitriolica superstes est, quibus etiam inflamma-
bilis, si quæ superfuerit, aliquatenùs concurrat.

V

Et quidem ferri pars terrea ore assumpta & inges-

ta ut pote vitriolica ventriculi atque intestinorum fibras pungit, irritat, stimulat, atque eis sic aliquoties adhærescit, ut in cadaveribus *martis croci* assumpti, infixi reperti fuerint (a) quæque ut sese ab iis quibus molestantur, corporibus, liberent, illæmet fibræ coarctatæ tenduntur, tensæque magis varios, validioresque motus agunt: Insuper martialium partes vitriolicæ hisce fibris infixæ veluti alia fulmenta eorundem motus sustentant, firmant, adaugentque, unde debilitata solida primam tensionem recuperant, atque validioribus, quas edunt, contractionibus, quibus eorum textus laxabatur, humores exprimuntur, & ab aliis, quibus iterum debilitari possent, tutæ sunt. Quæ de ventriculi & intestinorum fibris diximus, de vasis ad quæ *martialia* pertingunt, intelligenda sunt.

VI.

Ipsos etiam humores *martialia* afficiunt, ipsis permixta primæ consistentiæ eis conciliandæ inserviunt. Jam si quæras, quo mechanismo, illæ *martialium* partes humores fluidiores densant? fortasse, quia horumce humorum globulos suo pondere gravant, unde ad invicem aproximati plus vel minus uniuntur, unitique manent: fortasse, quia eis humoribus interpositæ partes illæ vitriolicæ, per suas peculiare superficies & figuras, eos ligant, efficiuntque, ut eorum globuli strictius inter se cohærentes corpus firmius efforment. Quidquid sit, id enim scire, parum ad medicinæ praxim confert. Verum inde firmatis nimium laxis corporis partibus solidis, inminutâ vasorum diametro, atque humoribus multò minus fluidis, earundem partium robor adaugetur, humoribus naturalis densitas iursum datur, sistuntur ex-

(a) Panarolus Pentecost. 5. Obs. 32.

cretiones nimiae, atque juxta naturalis corporis oeconomiae leges absolvuntur.

VII.

Martialia ut pote quae partibus vitriolicis plus vel minus referta partes laxatas firmare, humores solutos densare, nimias excretiones imminuere facile certè intelligitur; verùm contrarios persèpè effectus præstant, humoribus quoque crassioribus primam fluiditatem conciliant, ac præpeditas excretiones revocant, an ne hæc ab eadem causâ, scilicet terrâ *martiali* produci potuerint?

VIII.

Ita equidem, sed ut hæc faciliùs intelligantur imprimis notetis, velim, humores fluiditatem deperdere. 1o. Si eorum partes fluidiores & aquosiores dissipatae fuerint. 2o. Si ob validiorem vasorum contractionem compactæ densentur. 3o. Si vasorum textu laxato, debilitatisque eorum viribus, humores in iis torpescant; inde veluti sibi relictis eorum globuli subsidendo in corpus plus vel minus durum concreverunt. Ferrum & ex illo præparata, nisi in tertio casu convenire probabimus ff. sequenti, seu ubi à vasorum laxitate humorum crassities dependet: & quidem hinc medicamentis, debiles firmatae partes ad motum expeditiores fiunt, earumque contractionibus, qui in eis torpescabant, humores valide premuntur, propellunturque, atque eorum globulis minùs inter se cohererentibus, ad fluendum aptiores sunt, recuperatâque primâ fluiditate ad vasa usque secretoria appellant, in illis eò faciliùs secernendi, quòd iidem humores à subsequenter validè propulsi, atque vasa secretoria, firmiora facta, his humoribus recipiendis, excernendisque aptiora sint; & ut paucis dicam, ideò medicamenta *martialia* fluidiores humores densant

denfant, eos in vasis retinent atque secretiones nimias sistunt, quia vasa laxata firmant, & aperta constringunt; crassiores verò, si fuerint, dissolvunt, vasa referant, ac præpeditas secretiones restitunt, quia eorundem vasorum motum intendunt, aut ea ità disponunt, ut magis tensa validiores motus agere queant.

IX.

Quid ad salia vitriolica confugimus? num feri scobs etiam tenuissima metalli naturam retinet, quâ variis illis effectibus producendis aptissima est? & quidem ferri partes tenuissimæ in ventriculi & intestinorum fibras impingentes eas irritando tendunt, laxatasque firmant, ac astringunt; tandem humoribus permixtæ eos suâ mole & pondere solvunt, ac vasa in quibus torpescebant, succutiendo, si quæ sint, obstructions tollunt, atque eorundem vasorum motus excitant & adaugent.

X.

Varia ex ferro parata medicamina hujus metalli naturam non retinere, seu ferrum non esse, jam probatum fuit *ff* præced. quæ ergo obijciuntur, de ferro puro & totâ, uti loquuntur, substantiâ, interiùs assumpto dumtaxat accipienda sunt: Verùm præterquam quod ferri scobs salia vitriolica continet, astringendo aptissima; ex quibus hoc metallum componitur, partes ita facillè ab invicem sejungi possunt, ut vel levi datâ causâ destruat: itaque eodem planè modo, quo ferrum aere humido, aut affulâ aquâ in crocos mutatur ab illo totùm diversos; sic etiam in ore, ventriculi imprimis & intestinorum cavo tum ab assumptis liquidis, tum qui ex illarumce partium facie internâ indefinenter stillant, serosis humoribus maximè

alteratur ac penitus destruitur, & eò facilius, quòd aquei illi humores utpotè qui rarefacti textui ferri subeundo aptiores sint; res ita se habere, seu ferrum in ipsis primisviis destrui, eò verisimilius videtur, quòd eodè, ac *croci*, ferri scobs effectus præstet; præterea ad quantamcumque tenuitatem ferrum limâ reducatur insensibilibus vasorum lacteorum ostiolis subeundis impar fore, nemo haud scit, esto, ex ferro partes integrantes non nullæ in primis viis non destruantur; nonnè illæ utpote summùm graves ad anum usque decident, unà cum fœcibus excernendæ? aut si ad vasa sanguinea ac lymphatica perveniant, num ibi in sero calido veluti innatantes penitus dissolutæ totam naturam faciliè deperdiderint? denique ex ferri usu maximè si per aliquod tempus exhibeatur, alvus quam sæpe supprimitur, an ex solis & repetitis à ferri particulis, intestinis illatis commotionibus, hanc astrictionem repetes? eas illi inducendæ insufficientes futuras esse, vel leviter attendenti patebit.

X I.

Varios, quos in corpore *martialia* medicamenta præstant usus, ex eorum terra vitriolica pendere jam probatum fuit: verumtamen ferri pars inflammabilis, ipsaque terra absorbendo suum symbolum conferunt. 1o. Substantia inflammabilis, ut pote quæ particulis igneis plus vel minus referta, humorum quibus cum permiscetur calorem & motum adauget, unde vasa magis distenta validiores contractiones edunt, quibus humores fluidiores densantur, & concreti solvuntur; verùm quia minimam, saltem quædam, ex *marie* parata; medicamenta hujusce substantiæ inflammabilis quantitatem continent; idè ad varios, quos *martialia* producunt effectus, parum conferre existimamus: Ita quoque & terra ferrosiores humores absorbet, sed

tam minimâ quantitate, ut exinde qui ab exuberantibus partibus ferosis fluidiores sunt, primam confidentiam ex toto recuperare, impossibile videatur. Insuper, num hæc *martialium* absorbendi vis inutilis est, forte noxia ubi humores crassi & jam indurati sunt? nec dicant salia acida, quibus humores coagulatos supponunt, terrâ *martiali* absorberi; eam quidem salibus in sinu suo recipiendis, prout plus vel minus porosa est, aptissimam censemus; sed quæ de acidis humores nostros coagulantibus passim dicebantur, ut pote quæ incerta, aut falsa obsoluere.

Ferrum, uti ex eo parata non internas partes tantum ore assumpta astringunt, roborantque; externas quoque extrinsecus admota firmant, atque tum feri, tum sanguinis excretiones sistunt, tandem deficcativa, styptica & vulneraria tutissima sunt, tot tantisque experimentis comprobata, ut ulteriori probatione non indigeant.

X I I.

Omnibus ex ferro paratis medicamentis eadem astringendi vis non inest, plura etiam ex illis pro variis permixtis corporibus, multò plures alias qualitates habent, necessariò inter se distinguendas, ut eorum debite selectus fiat. 10. *Crocus martis*, quem aperientem vocant, illo minùs astringit, qui igne paratus fuit, cujus astrictio eò major erit, quò ferrum igne magis tostum fuerit, unde vitrioli martis calx alba, cinereâ magis astringit, rubra verò ferè caustica est, quò vero violentiore, magisque diuturno agitur igne, eò hæc posteriora in eo plus augentur, ut tandem causticus ferè evadat pulvis, (a) 20. Sal, vel vi-

(a) Clar. Boerhaave Operat. Chemic. part. 3. Proceff. CLXIV.

trium martis, *croci* magis astringens est. Acidis enim vitriolicis magis turget. 3o. Ferrum spiritibus acidis vel in aceto, aut alio liquore acido solutum, nam omnibus acidis facillè solvitur, ob admixta illa acida valdè astringet. 4o. Quod in vino solutum fuit, præter vim ejus stypticam ejusdem vini partibus sulphureis & volatilibus humorum rarefcentiam inducit. 5o. Crystalli tartari *chalybeati* vel *martiales*, vel tartarum *martiale*, præter astringendi vim, alvum quoque solvunt, aliasque promovent excretiones pro evacuantium naturâ, quæ cum illis, aut aliis ex ferro paratis mixta exhibentur. 6o. *Mars Diaphoreticus* vel flores salis ammoniaci *martiales* non humorum motum tantummodò adaugent, unde sudor persæpè subsequitur; verum etiam mediantibus salis ammoniaci partibus volatilibus quas continent, partes *martiales*, ad ultimos vasorum mæandros faciliùs adeuntes illa laxata vasa tendunt, eorumque oscillationes exsuscitant, augentque. Plura alia ex ferro parantur, quæ cum in usu minùs sint, aut ab aliis parùm diversâ; ideò iis superfedemus.

PARAGRAPHUS IV.

De Ferri & Medicamentorum martialium usu legitimo.

I.

Morbo non medeberis, nisi ejus causas priùs removeas; aut sic immutes, ut corpus naturâ vel arte se se ab illis liberet: causæ illæ, etsi eosdem similesque effectus persæpè inferant, ejusdem, quan-

doque naturæ non sunt ; variis proinde medicamentis alterandæ , imò & eliminandæ. Itaque ad cuiusdam affectûs curam se accingens , à quâ causâ antecedenti morbus oriatur , imprimis attendat , velim. Quoad verò externas causas , eas citò longèque removendas fore , nemo non scit. : causarum autem proximarum cognitio Medicorum ratiociniis , quàm ægrorum solamini multò magis infervit ; hæ enim sub sensus non cadunt , & ut plurimum incognitæ sunt.

I I.

Medicamenta *martialia* humoribus fluidioribus consistentiam , crassioribus fluiditatem dare , vasa obstructa referare , aperta claudere , partes debiles firmare experientia quotidiana docet : verùm quia naturalis humorum fluiditas , à variis causis prætermodum adaugeri , vel imminui potest , atque variis per sæpè qualitatibus infecti iidem humores vasa obturant , aut per ea copiosius effunduntur ; sicuti vasorum elater à variis causis planè oppositis quandoque debilitatur ; itaque ut ex *martialibus* medicamentis ægotantes omnia optata emolumenta percipiant , de iis sigillatim , sed breviter differendum duxi , ut cuinam ex illis oppugnandæ medicamina hæc magis idonea sint , rectius intelligatur , ea enim nec obstructis vasis referandis , nec evacuationibus sistendis , nec partibus firmandis , æquè conveniunt.

I I I.

Primò. Humorum naturalis fluiditas à debitâ vasorum , in quibus continentur , pressione , primùm dependet , hinc ex quibus componuntur globuli debite , sed non strictius inter se uniti , datâ causâ , vel sibi ipsis relictis ab invicem plùs vel minùs facile

fecedunt ; in eo enim fluiditatis natura sita est. Præterea cum ex humorum partibus aliæ aliis facilius coherentes, in corpus plûs, vel minûs densum abirent, nisi interpositis aliis fluidioribus earum contactus præpediretur ; ita quoque pars serosa necessaria est, undè suam habeant serventque fluiditatem. Ergo humores naturalem fluiditatem deperdunt, seu densiores fiunt, si adaucta vasorum vi *systolica* uti in morbis inflammatoriis videre est, nimium premantur ; vel prætermodum fluidiores, si eorundem vasorum elater debilitatus fuerit ; sicut in chlorosi, & in febre malignâ quandoque observatur. Denique eorum fluiditas præter naturam adaugetur, si partes serosæ exuberent, vel iis deficientibus, densantur, inspissanturque.

I V.

Quæres nûm humores à causâ externâ interiùs assumptâ vel intrâ corpus genitâ fluidiores fieri possint ; sic sentiunt omnes ferè *Pathologi* & imprimis Chimici : salia falsa, aiunt illi, ut pote quæ ad fermentescendum inepta suis partibus solidis, scabrisque superficiebus quibuscum permiscentur, humores scindunt, carpunt, divellunt atque fluidiores efficiunt ; idem dicunt de venenis. Salia falsa humoribus solvendis apta futura esse non ambigimus, verùm quia hisce salibus humores rarò turgent, præterea ni in ipsis vasis efformentur, quod maximè incertum est, sub eâdem quâ assumpta fuere, formâ usque ad vasa sanguinea difficilè perveniunt. Insuper nûm illa salia humoribus permixta, in quibus includuntur, vasa pungunt, ac irritando tendunt, eorumque oscillationes adaugent, quibus proindè humores magis atque magis densantur.

Quoad verò venena cum omnia acria atque corrosiva fuerint, ut ex rigore, convulsionibus, motibus

convulsivis & id genus aliis symptomatibus inferre licet, humoribus solvendis minus idonea sunt.

V.

Humores à quâcumque causâ fluidiores facti è suis vasis saltem quæ iis insunt tenuiora, fluidioraque facillè effluunt; unde alvi fluxus colliquativus, urinæ vel sudoris copiosior excretio; hinc etiam sanguinis per nares, alvum, urethram, vulvam &c. effusio: verùm cave, ne in iis decipiaris; nam humoribus præter naturam non fluidis, imò & densioribus; illæmet evacuationes persæpè accidunt. Præpedito in aliquâ corporis parte, vel in viciniis humorum circuitu, qui appellunt, ad vasa liberiora eò majori quantitate, & impetu feruntur, quòd in aliis iter magis præclusum est; unde si quæ sint adhuc patula excretoria, facillè effunduntur, aut sanguinea, vel lymphatica vasa dirumpunt. Quare autem effusi humores, ut plurimum fluidiores fuerint, vel ex vasorum excretoriorum imminutâ diametro, vel ex disruptorum exiguitate repetendum est. Tandem, quod in humoribus stagnantibus tenuius est, exprimitur.

V I.

Martialia ergo medicamenta præscripturus à quânam ex illis causis nimia humorum fluiditas, vel adaucta eorum excretio dependeat diligenter attendat. 10. Si ab imminutâ vasorum pressione: verùm cum partium solidarum vires deficient, vel quia partibus volatilibus humores depauperantur, unde lymphæ nerveæ minori quantitate à cerebro influente partium solidarum tensio subsidit, earumque contractiones languescunt: vires etiam deficient, si exuberantibus in corpore humoribus serosioribus

partium solidarum textus laxetur. Itaque si primùm, cum ferrum, nec ex illo parata medicamenta iis non constant partibus, quibus vires refici possint, tunc *martialia* inutilia fore vel leviter attendenti patebit.

Si secundùm, seu si ferrosiores humores solidorum debilitatis causæ fuerint, modò non maximè exuberent, iis enim penitùs exhauriendis *martialia* insufficientia sunt, ad medicamenta hæc tanquam ad sacram anchoram confugas, illis enim partium textus firmiori factò earumque adauctà vi *lystaltica* vasa referantur, & humores ex intimo partium textu expressi ad vasa excretoria faciliùs multò pertingunt. Tandem humorum globuli undiquè validiùs pressi magis inter se cohærent, atque prima humoribus densitas certè conciliabitur.

V I I.

Secundò Si ab exuberantibus ferosis humoribus adaucta fluiditas dependeat, cum iisdem humoribus absumendis laxatisque vasis firmandis *martialia* sint imparia; ideò priùsqvam hæc medicamina exhibeantur, evacuantibus, prout indicatum fuerit, si non ex toto, saltem quòdam partem hi humores è corpore eliminentur, aut ut utriusque indicationi satisfactorus sis, cum evacuantibus *martialia* simul mixta primùm exhibe, curam deinceps *martialibus* simplicibus totam absoluturus. Ita quoque cum humoribus ferosis maxima fluiditas inducta fuerit, atque solidorum textus multùm debilitatus, *martialium* vires admixtis astringentibus validioribus intendas; nam præterquam quod humores magis adunant, solidis etiam, atque laxatis vasis excretoriis firmatis, humores ad secretoria faciliùs multò appellunt, & ex illis copiosiùs effunduntur.

V I I I.

Ipsis evacuationibus nimis sistendis *martialia* quæque inferviunt, verùm cave ne aberres, plures enim sunt, ut jam inuimus, harumce excretionum causæ; ideò autem illius vel alterius humoris excretio adaugetur, atque ipse sanguis è suis vasis exilit, aut in aliena fertur, quia humorum motus vel in vicinis vel in ipsius partis affectæ vasis sistitur, aut summè imminuitur, vitiatur autem ille motus, tùm ob eorumdem vasorum infarctum, tùm constrictionem, tùm ariditatem. 10. Vasa sanguine vel lymphâ obturantur: Si primùm, sanguinis ad ductam quantitatem repetitis venæ sectionibus in brachio, vel in talo, prout indicatum fuerit imminuatur, & ejus rarefcentia appositis remediis diætæque tenui & refrigerante compefcatur. Tandem si ipse sanguis jam concretus, & in iisdem vasis sic impactus, ut eorum repetitæ pressioni cedere non valeat, sanguinis resolutentia in usum adhibe: Dixi sanguinis resolutentia, hæc enim à lympham incidentibus plurimùm differunt: tunc ergò *martialia* inutilia sunt, atque noxia. Si secundùm, seu si à lymphâ infarctus dependeat, illa incidenda est, uti infra dicemus.

20. si excretio nimis vasorum constrictione inducta fuerit, *martialia* tunc noxia futura esse, vel leviter attendenti patebit; indè enim quæ fiebat humorum excretio adaugenda est, vel omnes sistendæ sunt, si ipsa vasa quæ patula erant validè constringantur. Tandem ipsa vasa dilacerantur, atque sanguis vel serum effunditur, aliaque non minùs infensa mala subsequutura sunt. Ergo si ad ducta humorum excretio ab *spasmo* veniat; martialium locus non est ea tunc proderunt, quæ partes convulsas laxare poterint, sed hæc hujus loci non sunt.

30. Nec etiam minus *martialia* nocerent, si par-

tium textus aridus & siccus fuerit ; quippe vel affectarum partium vasa cum humoribus , quos continent , simul arefcunt , vel humoribus plus vel minus vacua exsiccata sunt. Quomodo induratis humoribus prima fluiditas *martialibus* restituenda sit , infra dicemus ; quoad vasa arida & sicca , ni diluentibus & emollientibus prius remollita fuerint , ea humoribus recipiendis transmittendisque imparia fore , neminem in rebus *physiologicis* vel leviter versatum fugit , ac proinde ex ferro parata medicamenta tum nullatenus conveniunt.

I X.

Ergo excretionibus nimis sistendis *martialia* parum vel nullatenus inserviunt ? falleris certè ; nam 1^o. si ab exuberantibus humoribus serosis excretio dependeat , aut foveatur , uti supra diximus , multum conferunt. 2^o. Si propter vasorum excretoriorum laxitatem fiat , *martialia* ut potè salibus vitriolicis plus vel minus referta ad eadem vasa astringenda , atque firmanda apposita sunt. 3^o. Ità quoque conducunt , si à præpedito vel in viciniis vel in ipsius partis vasis laxatis humorum circuitu vel secretionem læsa , excretio adaucta sit ; undè rationem habes cur immodicus catameniorum vel hæmorrhoidum fluxus , aut aliæ excretiones nimis *martialibus* atque aperientibus medicamentis quandoque sistantur. 4^o. Tandem à quâcumque causâ excretio adaucta dependeat , pro dato tempore profunt , sed de iis fufius in sequentibus.

X.

Ex dictis sequitur , *martialia* in prætermodum adauctâ humorum fluiditate , aut excretionibus ni-

miis tutò præscribenda futura esse dumtaxat. *Primo* quotiescumque præternaturalis fluiditas à debilitatâ partium solidarum vi *syftalticâ* dependet. *Secundo* vel ab humoribus serosis exuberantibus. *Tertio* cum excretiones ob laxatum partium tonum copiosiores sunt. *Quarto* ad solidas partes firmandas, modò vires earum nec oppressæ, nec ab exhaustis humoribus debiles fuerint. Undè patet, martialia in omnibus corporis affectibus ab iis causis pendentibus fore summè proficua.

X I.

Secundo Quemadmodum humorum fluiditas præter naturam adaugeri; sic quoque iidem humores variis causis densari queunt. *Primo* Si eorum pars serosior & aquosior deficiat. *Secundo* Si in quibus continentur, vasis validiùs premantur. *Tertio* Si laxato partium *extu*, veluti sibi ipsis relicti humorum globuli ad invicem subcidentes plus vel minùs strictè cohæreant. In primâ densitatis specie *martialia* medicamenta maximè noxia fore, quis non videt? certè quidem diluentibus solùm hæc deperdita fluiditas recuperari potest. Nec minora parerent incommoda, si à vasorum pressione densitas suboriretur, quæ laxantia sunt, dumtaxat proficua futura esse, experientia docet.

X II.

Ergò nisi humorum densitas à tertiâ causâ inducta fuerit, *martialia* tutò exhibere poteris; modò etiam partis, in quâ illi humores stagnant, natura & variæ ejus affectiones non contraindicent; quippè humorum hærentiam, quam etiam induratio subsecuta est, vel inflammatio aliquoties præcessit, vel

ei supervenit, & ulcus quandoque partem affectam depalcitur; quantum autem *martialia* tunc nocerent, nemo non videt. Tandem ne in re aliunde summè difficilè, atque ne maximo ægrotantium damno decipiari, ad humorum etiam stagnantium, vel extravasatorum duritiei gradum diligenter quoque attende: *martialibus* vasa firmata magisque tena validius contrahuntur, quorum motibus, si indurati humores non cedant, ipsa vasa, geminatis ictibus solvuntur, aut in iis maximè constrictis, humorum circuitus plus vel minus præpeditur; undè partis affectæ dolor, inflammatio, ulcus, gangræna. Preterea in partibus vicinis humorum motus quoque vitiat, lymphæ vel sanguis è suis vasis erumpunt, aut feruntur in aliena.

XIII.

Ergò si cujus curam susceperis, affectus ab induratis humoribus dependeat, aut foveatur, *martialia* priùs non exhibeas, quàm eosdem remollieris; quippe emolliti ac minùs compacti vasorum oscillationibus faciliùs cedunt, atque propulsi vel in vasa continua fluunt, aut per patula excretoria effunduntur. Quæ de humoribus in aliquâ corpòris parte induratis, seu de scirrho lienis, hepatis &c. diximus: ea etiam de humorum in cæteris corpòris vasis spissitudine accipienda sunt.

XIV.

Verùm si nihil contraindicet; seu si humores nec nimis indurati, nec vasa arida, nec maximè tena fuerint, à *martialibus* curam tutò susceperis; sic experientia docet, ut & ratione confirmari posset. Nam hisce medicamentis vasa firmata ac validius se se con-

trahentia eisdem humores premunt, atque ad vasa capillaria usque propellunt, ubi eò magis, uti docet Physiologia, solvuntur, quò illam et vasa minora fuerint.

X V.

Deniquè cum æquè sanguine, atque lymphâ viscera maximè lien, imo & omnes corporis partes infarciri possint, seu humores omnes in vasis vel extrà vasa plus vel minùs densati indiscriminatim hære ac stagnare, quibus *martialia* non æque conveniunt, idèò quisnam ex illis torpescit, maximè distinguendum est. Qui à sanguine est, non *martialibus*, quæ tunc summe nocentia forent; sed propriis incidentibus infarctum tollere opus est quâ autem methodo à lymphâ producto infarctui mederi oporteat, jam diximus.

X V I.

Ex dictis colliges. *Primo*, *Martialia* non convenire, cum à dissipatis humorum partibus serosioribus, vel nimia vasorum pressione densitas dependet. *Secundo*, nec ubi partes solidæ nimium tensæ, aut aridæ fuerint. *Tertio*, Ea dumtaxat proficua fore, si propter laxatum partium textum humores torpescant, modò nihil contraindicet: Contraindicant autem humorum durties maxima, partis affectæ natura, ejus sensibilitas adaucta, inflammatio, ulcus &c. *Quarto*, Ut hæc medicamenta tutò exhiberi possint, humores indurati priùs emolliantur, atque vasa laxata sint. *Quinto*, Nec sanguinis densitati, nec infarctui à sanguine, sed à lymphâ inducto, ferrum & ex eo parata prodesse; undè rationem habes, quare vasa obstructa referant, scirrhus tollunt, suppressas

evacuaciones restitunt, humoribus deperditam fluiditatem conciliant, atque eorum operá humorum motus, ex quibus vita & sanitas dependent, juxta naturalis œconomix leges absolvuntur.

XVII.

Ad quid tot & tantæ distinctiones? an ne suppresso catameniorum fluxui, & aliis excretionibus restituendis, *martialibus* aptiora remedia inventa sunt? nulla sanè præstantiora modò indicata fuerint; verùm semper non indicantur. Catameniorum fluxus & aliæ humorum secretiones ac excretiones, uti jam expositum fuit, vel propter vasorum secretoriorum & eorum quoque, ex quibus pars affecta componitur, spasmm, aut ariditatem imminuuntur, & ex toto aliquoties præpediuntur; quandoque propter lympham summè induratam. An iis ritè priùs non distinctis à culpá abfuturus eris? vel minimè, *martialibus* vasa rigida magis coustringentur, sicca penitè arefcent. Item si à sanguine vitium oriatur, partis affectæ sensum intendes, inflammatio superveniet in ulcus insanabile citò mutatura. Taceo varia alia, quæ exindè mala subsequi solent, quæque heu nimium? experimentis comprobata sunt, sed de iis fusiùs ff. sequenti.

XVIII.

Quibus inter morborum causas debellandis, aut alterandis *martialia* medicamenta conveniunt, definitum est: quæ ex illis pro dato affectu magis proficua fuerint, & quomodo iisdem uti oportet, superest inquirendum; in illis etiam multum peccatur. Ex ferro parata medicamenta alia aliis plus vel minus astringunt, atque pro eorum, quæ cum illis

admixta exhibentur, naturâ, plures alias qualitates habent, Medico dignoscendas; sed de iis jam egimus ff. præcedenti. Quænam inter illa diversis corporis affectibus sanandis aptiora sint, breviter inquiramus. Itaque 1^o. ubi partium textus maximè laxatus est, atque humores vaforum ictibus faciliùs cedere possunt, ea exhibenda sunt, quæ magis astringunt; qualia sunt *crocus martis* astringens, *vitriolum martis*, tincturæ, & ferrum in aceto, aliisque liquoribus aut spiritibus acidis solutum. 2^o. Si minùs astringendi indicatio fuerit, *crocus martis* aperiens, ferrum limâ in scobem tenuissimam redactum, imprimis in usu sint. 3^o. Ferrum in vino solutum partibus vini sulphureo-volatilibus, quas secum permixtas habet, humorum rarefcentiam intendit, sopitos spiritus exsuscitat, atque eorum secretionem promovet; ideò tunc feliciter præscribitur; si unâ cum partium laxitate vires exolutæ fuerint. 4^o. Si alvum ducendi intentio sit, atque minùs astringere oporteat, *crystalli tartari chalybeati*, & *tartarum martiale* solubile præ aliis concinnentur. 5^o. Si sudoris promovendi necessitas fuerit, aut læsa perspiratio promovenda, atque intimi partium contextûs vasa firmanda, referendaque sint, flores salis ammoniaci *martiales* has indicationes tutò adimplent. Verùm cave, ne iis humorum motus atque corporis calor maximè intendantur, ut hæc avertam, in magnâ aquæ quantitate solutos hos flores exhibere soleo.

X I X.

Quæres an ferrum ipsius croco aperiendi præponendum sit? sanè quidem, modò in scobem tenuissimam fuerit redactum, & ubi minùs astringendum est. 1^o. In scobem tenuissimam reducendum est; alioquin nec in ventriculo, nec in intestinis debite solutum, & ut pote summùm grave citò per anum ex-

cerneretur. 20. *Croco* antepōnatur, si minùs astringendi intentio fuerit. *Martialium* vim astrictorim à salibus vitriolicis, quibus plus vel minùs abundant, pendere probatum fuit; ea autem salia eò majores vires exerunt, quò à substantia inflammabili magis sunt expedita; at quia ferrum, uti probat ejus major inflammabilitas, substantià illà inflammabili *croco* magis turget, ejus acida minùs libera, minori etiam vi agunt: contrà verò in *croco*, ubi sui juris magis facta multò magis astringunt. Ex quibus patet chalybem ferro etiam minùs astringere; quia majorem substantiæ inflammabilis quantitatem continet, fortè, quia illa salia ob strictiorem chalybis compagem, quàm in ferro, minùs ad agendum expedita sunt. Quibus adde ferri, sed imprimis chalybis scobem ut pote *croco* graviorem è ventriculo & intestinis citiùs multò decidere. Ergò quotiescumque minùs astringendum futurum erit, ferri, & chalybis scobem *croco* tutiùs exhibebis. Insuper scobis usu, non mala solùm effugies, quæ ex ferri paratis persæpè inferri solent, sed eò tutiùs ages, quòd veluti per gradus egeris.

X X.

Ita quoque pro varià indicatione, cum aliis medicamentis ferri varia præparata exhibentur. 10. Si non astringendi tantùm, sed etiam demulcendi & nutriendi indicatio fuerit, ut in inveteratis alvi fluxibus, aut aliis evacuationibus immodicis, unà cum lacte, vel sero lactis vel jusculis ex juniori pullo galinaceo paratis *Martialia* feliciter dantur. 20. Vel cum resolventibus, uti cichorio silvestri, fumariâ, nasturtio aquatico, apio palustri, chærefolio, asellis, aquillâ albâ, æthiope minerali &c. Si humores, incendiendi sunt & per vias urinarias excernendi. 30. Vel cum cardiacis, si vires verè debiles refocillandæ. 40. Vel

Vel eum ipsis narcoticis, ut quæ astringendo produ-
cunt, aut adaugent, mala avertantur. 5^o. Vel
cum catharticis, ut exuberantes pravi humores per
anum eliminentur. 6^o. Tandem cum remediis appro-
priatis, prout indicatum fuerit.

XXI.

Quomodò, seu quâ formâ & dosi *martialia* exhi-
benda sint, inquirendum superest. Unâ cum aliis
medicamentis pro datâ indicatione præscribenda fore
jam dictum fuit; tunc ergo sub eâdem formâ, quâ
illa remedia dantur, etiam concinnanda. Quæ si so-
la in usu sint, ea vel in aquâ ad ptisanæ formam,
vel in vino soluta, vel in jusculo convenienti, vel
in decocti appropriati cyatho uno, aut altero, vel in
offæ primo cochleari, vel manè superhauriendo, aut
lac, aut ferum lactis, aut jusculum, aut apozema. Vel
ferrum candens in lacte, vel lactis fero extinguitur.

XXII.

Quoad dosim. A minori semper exordiaris, ut ad
majorem tutò progredi possis, plures à magnâ dosi
malè se habere observatum fuit, qui à minori sanati
sunt; Ideò ne aberres, & morbum & ægrotantium
temperiem, ipsiusque partis affectæ indolem priùs
confule. Verùm si parvâ dosi exhibeantur, quod sem-
per tutius erit, iis per longum tempus uti necessum
est; unde patet quare aquæ minerales vitriolicæ, quas
martiales aut ferrugineas vocant, etsi ferrum purum
non contineant, illæ enim aquæ à terrâ propriâ ferri
acidis vitriolicis plus vel minùs turgidâ suas virtutes
habent, unde inquam, tot tamque gravibus affecti-
bus sanandis ipso ferro, atque ex eo paratis multò
magis sunt accomodatæ; quin tamen credas, omni-

bus morbis debellandis aptas futuras esse, uti illis, qui de aquis tractant dicere solemne est; quippe si illis fides adhibenda foret, nullos ex corporis affectibus insanabiles diceres: at aquæ minerales, uti alia medicamenta, nisi pro datâ indicatione profunt.

X X I I I.

Qui in vasis humores stagnant, maximè si concreti fuerint, circulationi plus vel minùs inhabiles sunt: veluti totidem corpora humoribus extranea haberi possunt; quæque proinde, si *martialium* ope fluiditatem adeptæ, ad alia vasa cursum rursùs dirigant, humorum quantitatem adaugent, eosque, pro suis qualitatibus variè inquinant; unde mala prioribus pejora quàm sæpe oriunda: ut ergò tot tantaquæ, quæ exinde imminant, incommoda avertantur; ni soluti humores per ejusdem partis vasa excretoria foras erumpant, è corpore variis additis evacuantibus eliminantur. Dixi variis additis evacuantibus; nam, cum juxta divini Senis Consilium eò tendere oporteat, quò natura vergit; vergit autem; seu superfluos illos humores vel ad renes, vel ad alvum, vel ad cutim &c. propellit è vasis egerendos: Itaque diuretica, vel cathartica, vel diaphoretica, aut sudorifica, vel alia evacuantia prout indicatum fuerit, *martialibus* utentibus identidem exhibeas, & quoties visum fuerit, iteranda.

Sic etiam humorum hærentium excretionem promovebis; si iisdem humoribus jam solutis, vasa per appositæ remedia ad excernendum prorites. Sed hæc hujus loci non sunt. Verumtamen cum nonnullis ne sentias, velim, *martialia* assumpturos evacuantibus semper prædisponendos futuros esse; nam ferosi humores exuberant, vel in vasis veluti infixi plus vel minùs concreti sunt. Si primùm, non unâ vice, sed pluries, etiam cum martialibus evacuantia convenien-

tia exhibeantur. Si secundum, expecta, dum iidem humores *martialium* operâ ad fluendum apti sint; alioquin nulla, vel irrita, fortè noxia evacuatio tub-secutura est.

PARAGRAPHUS V.

De abusu Ferri.

I.

IN erroribus, qui in ferri & *martialium* usu, committuntur, enumerandis, multum non immorabimur, eò enim frequentiores atque majores sunt, 1^o. quòd hæc medicamenta præ omnium manibus sint. 2^o. Quòd morbi, aut eorum causæ, quibus debellandis conveniunt, haud facillè distinguantur. 3^o. Quòd, quæ perpatrant, damna difficillè refarciri possint.

II.

Ille morbis tutò debellandis aptus est, qui cognitâ priùs corporis oeconomîâ, morborum, quibus in vitæ decursu corpus humanum objicitur, genium, seu quibusve signis se primùm monstrant, quomodo intenduntur, ac remittuntur, atque terminari solent, à Magistris peritioribus, Auctorum selectiorum lectione ac propriâ experienciâ didicerit; ita & causarum cognitio non minùs necessària est, medicinam facturo: quantopere ergo, qui nullis Medicinæ principiis imbuti, nec morborum historiam novere, nec audire, illi ferrum & ex hoc metallo præparata exhibentes decipiuntur, aliosque decipiunt, & eò fre-

quentiùs, quòd eadem illa medicamina ad omnes permixtè morbos adhibeant. Adeò frequens est *martialium* usus, ut illa, Medicinam universalem crederes.

I I I.

Quantæ difficultatis fuerit, & morbos, ac eorum causas, quibus oppugnandis *martialia* conveniunt, dignoscere, facile patebit ex nostræ Dissertationis lectione: ergo quot & quantæ ab iis culpæ committuntur, qui nullâ morbi, causarum, ægrorum temperiei, aliarumque circumstantiarum habitâ ratione hæc medicamenta, alioquin optima, exhibent: & sanè cum hæc sit *martialium* natura & indoles; ut partium solidarum astringendo vires intendant; nam uti experientiâ constat, illa noxia futura sunt, ubi partes illæ nimium tensæ, aut aridæ, vel humores partium serosarum jacturâ, vel validiori vasorum pressione indurati fuerint? uti etiam, si quâcumque aliâ causâ summè concreti vasorum ictibus cedere non valeant.

I V.

10. Partes spasmo detentæ *martialium* acidis vi-triolicis valdè instimulatæ magis atque magis tenduntur: atque convulsæ rigescunt; unde ad se se contrahendum ineptæ, propellendos humores retinent, ac pressione densant. Insuper humorum colis etiam constrictis, secretiones suppressæ manent, ac quæ adhuc vigeant, ex toto sistuntur; unde febris accenditur, facies rubet, totum corpus æstuat, disruptis vasis, sanguis impetu exilit, aut aliò divergentes humores in vicinas cavitates irruunt, ibique collectis, hydrops supervenit, vel corporis habitus cachecticus fit, si serum in vasis intra textum cellu-

larem repentibus, vel in ipsis cellulis stagnet.

V.

20. Nec minora subsequenter incommoda, si aridis partibus solidis, medicamenta martialia exhibeas; partes illæ, quibus remolliendæ erant, humoribus jam destitutæ, vitriolicis acidis magis exsiccata arefcunt. Unde earum motus languescit magis, atque humorum fluxu inhibito, excretiones intercipiuntur, vasorum infarctus adaugetur, humores magis indurfcunt; unde hydrops, febris lenta & alia infensiffima mala superveniunt.

VI.

30. Vasorum ictibus eò minus humores pariunt, quò magis indurati sunt; hinc maximè errant illi; qui iisdem humoribus necdum remollitis, martialibus utuntur: sanè uti ff. præced. dictum fuit, Medicamina hæc vel humores inordinatè solvunt, vel in eisdem humores, irritis resiliunt ictibus, quibus vasa vicina validè commota varios motus edunt, ac convelluntur, in illis & in remotioribus humorum motus intenditur, rubra cum albâ sanguinis pars in arterias lymphaticas irruit; ibique stagnante, Inflammatio accenditur, quam ulcera insanabilia, subsequuntur, vel humorum induratio nullis diluentibus emollienda; insuper plura alia mala subsequi, aut concomitari solent; scilicet, febris in lentam terminanda, partis affectæ dolor, scirrhus facilè mutatur in cancrum, hydrope aut marasmo vita cum morte commutatur.

VII.

Si ergò plurimùm errant, qui martialibus utuntur in omnibus affectibus spasmodicis, passione hysterica, affectione hypochondriacâ & quocumque alio corporis affectu convulsivo, sicuti in partium ariditate, hæmoptysi, saltem ratione morbi; nam ad horum-ce affectuum causas nonnullas alterandas, immutandasque, quandoque aptissima fore nos felix usus persæpe docuit: verum cave, dum causas arcere niteris, ne qui ex illis dependent, morbos exasperes; ideo tutiùs ages, si variis illis indicationibus simul satisfeceris.

VIII.

Inde etiam vides, quàm noxia fuerint hæc eadem medicamenta in cancro afflictis, vel internis ulceribus laborantibus. Ipsa intemperies sicca & calida martialia aut respuit, aut si illa exhibendi indicatio fuerit, nisi summâ cum prudentiâ ea adhibeas, facîle certè lædes.

Ex dictis quoque rationem habes, quare jam sensibilem nimis ventriculum invertunt, intestina doloribus torquentur, bilis acrior excernitur, alvus astringitur, totum corpus flavescit, aut exanthematibus figurâ, magnitudine, colore, ipsoque dolore diversis aliquoties infectum est, vel macie absumitur &c. Taceo varios, qui circa dosim errores committuntur. Sed quid plura, eo enim in martialibus præscribendis frequentiùs peccatur, *quod difficillimum sit*, ipso attestante Illustr. Stalh (a) practico felicissimo, *martialia ita administrare, ut ille, etiam regulis perspicuis, circumscriptis, erroribus & ambagibus eventibus, nullus*

(a) Ars sanand. cum Expectat. c. IV.

aditus pateat, aut locus relinquatur: qualis autem circumspectio, discretio, & peritia, ab illis numquam sperari, nedum expectari potest, qui toti in hoc remedii genere obhærentes, neque morborum genium agnoscunt, neque adhibendi aliquam methodum comprehendunt.

IX.

In martialibus facilè erratur, difficiliùsque multò, quæ inferunt, damna refarciuntur. Etenim hisce medicamentis nimium constrictæ aut summum aridæ corporis partes, difficillimè laxantur & emolliuntur, ex illis, quos accersunt, morbi quàm plurimi, aut remediis exasperantur, aut omnem persæpè medicinam respuunt: quem latet ulcera, caneros, febrem lentam & hecticam, hydropem &c. quæ ex illorum abusu oriuntur, insanabilia futura esse.

X.

Ne ergò circa martialium usum aberres, tibi nunquam excidat, *martialia* astringendo præcipuas suas vires exerere, eaque dumtaxat convenire, cum partes laxatæ firmandæ sunt; quæque proinde jam nimis tensas, rigidiores efficiunt, earum intendunt motus, atque aridas magis exsiccant. Nam uti suo loco probatum fuit, martialia, acidis vitriolicis plus vel minùs turgent, ferri autem partes integrantes ostiolis vasorum lacteorum subeundis impares sunt, atque ex hoc metallo parata ferri naturam exuere, ipsique *croci* modò ritè parati fuerint, terra sunt acidis vitriolicis plus vel minùs referta: quod si uti sæpè contingit, quia Pharmacopolarum aut incitiâ, aut incuriâ non concinnè elaborati sunt, quasdam partes verè metallicas retineant, interiùs assumpti, aut ex toto destruuntur, aut per anum partes illæ metallicæ excernendæ sunt. *Exustum ferrum*, *squamas*

ferri, seu batituram benè perustam, & omnis martis crocæ-
tum præcedentibus solutionibus, & subjunctâ uestione,
paratos, non magis tangit aut commouet Magnes, quàm
paleas & stramen. Ita Illust. Stalh. (a)


Quantacumque gravia fuerint, quæ ex intempe-
tivo martialium usu, mala subsequi possint, ex iis
optata commoda ægrotantes percipient, modò mor-
bis, eorumque causis ritè distinctis, habitoque priùs
temperierum, aliarumque circumstantiarum respectu,
exhibeantur: totidem remedia tonica sunt, quæ la-
xatas partes firmando, humoribus fluidioribus con-
sistentiam; crassis, spissis & nimium consistentibus
fluiditatem conciliant; unde languentium humorum
motus in integrum restituitur, functiones debitè
exercentur, atque sanitas restituitur.

(a) Obser. Ch. Phys. Med. cur. mens. Septemb. C. 5. &
Experim. Obser. & Animad. N. XVIII.



ERRATA.

P Ag. 8. lin. 6. hac. leg. hæc. lin. 20. visceribus extrahuntur.
leg. visceribus efformata extrahuntur. l. 25. unità. leg. unita.
p. 11. l. 2. ullatenus attrahit. leg. ullatenus, vel parùm attrahit.
l. 12. metallum destructum. leg. metallum plus vel minus
destructum. p. 24. l. 10. textus. leg. textu. p. 25. l. 34. pote-
runt leg. potuerint p. 27. l. 20. subcidentes. leg. subsidentes. p. 20.
l. 12. præterea leg. præterea. p. 30. l. 21. coustringentur. leg. const-
ringentur p. 32. l. 2. astrictorim leg. astrictoriam.



Le Recueil périodique d'observations de
Médecine chirurgie pharmacie &c. par M.
Vandermonde Docteur Regent de la Faculté de
Médecine après imprimé chez Androit che-
viment rue St. Severin a deux cent cinquante la
1^{re} fois les observations qui ont été directement
rapport aux maladies, & Vandermonde les physiologi-
pathologie, hyg. & sémiol.

La 2^{de} partie ou traité des découvertes
anatomiques et de tout ce qui concerne la
chirurgie naturelle et instrumentale.

La 3^{de} partie renferme l'histoire naturelle
de chimie et de pharmacie.

Cette œuvre est composée de thèses, mémoires, leçons
après Montpellier et autres célèbres écoles de France,
des lettres manuscrites et pièces fugitives qui traitent
directement ou indirectement de la médecine chirurgie et
pharmacie.

Paris par la commission 747. pl. 12. vol.
et 6782 par Paris.

21137

△△△

